

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica VI. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

Matth. 24. v. 13. Quilibet sibi velificat, nihil passurus super contritione Joseph, Amos 6. v. 6. Quod si fortè cui manus potrigitur, id subindè ei exprobratur: Verùm id ipsum improbatum à Siracide, cap. 20. v. 13. seqq. & cap. 42. v. 27. Agnoscamus potius, nos pro virili proximo ad ferendum obstrictos esse: & hoc debitum nullis beneficiis, quantacunque sint,

compensari posse. Hoc qui rectè secum perpendit exprobrationis iniquæ facile obliviscetur. Cum enim feceritis omnia, inquit Christus, quæ præcepta sunt vobis, dicit: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus, Luc. 17. v. 10. Hic finem facimus, Deo sit laus & gloria in æternum,
Amen!

DOMINICA VI. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 5. v. 20 -- 27.

EXORDIUM.

DE Messia prædictum est: Ipse erit quasi ignis conflans, & quasi sapo fullonum: & sedebit constans & emundans argentum, Mal. 3. v. 2-3.

In hoc vaticinio officium Messie haud inconcinnè nobis depingitur,

1. *Sub imagine fabrorum.* Ipse quasi ignis conflans. Sicut igitur aurifaber ignem adhibet, quo aurum & argentum purgat, ut à scoris separetur, ita & Servator duplici igne utitur, quando filios Levi, h. e. populum suum peculiarem purgaturus est: Primò *ignem lucis*: nunquid non verba mea sunt, quasi ignis, dicit Dominus, Jer. 23. v. 29. Utique quasi ignis, consumens ligna, scænum & stipulas, h. e. inventa hominum, quando illa Ecclesiæ obrudi volunt. Deindè *ignem crucis*, quando fideles suos in furno afflictionis excoquit, ut electos eos faciat, Esa. 48. v. 10. & fidem eorum probat, ut multò pretiosior sit auro,

quod perit, quod per ignem probatur, 1. Petr. 1. v. 7.

2. *Sub imagine lotorum*: erit enim ut sapo fullonum. Lutherus expressit: *wie die Seife der Wäscherin*. Sicut igitur lotrices saponem & alia media habent, quibus linteam mundant, & maculas eluunt: Ita & Christus saponem verbi sui, Pharisæicas traditiones, quibus legem depravarant & maculaverant, iterum eluit & purgavit, ut jam sciamus, non sufficere obedientiam externam, sed cor cum omnibus interioribus affectibus & concupiscentiis purgandum esse, si legi Dei satisfieri debeat. Hoc in nostris naturalibus viribus non consistit, idè de alia justitia circumspiciamus, quam Christus nobis acquisivit, qui est finis legis, ad justitiam omni credenti, Rom. 10. v. 4.

Hoc ipsum inculcat in prælecta Pericope, ad discipulos suos inquit: Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum

barum & Phariseorum, non intrabitis in Regnum caelorum. Deinde reformationem instituit, ostendens nobis, quomodo lex intuenda sit, non modò superficialiter, sed tanquam regula & norma, ad quam non modò verba & opera nostra: sed & interiores cordis affectus & cogitata conformemus.

Videbimus nunc

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

DE officio Spiritus sancti elenchtico ait Servator ad discipulos suos: Arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De justitia verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me. De judicio autem quia Princeps hujus mundi jam judicatus est, Johan. 16. v. 8. 11.

Hoc quomodo intelligendum sit, alibi expositum est, Jam ansam nobis suppediat prælecta Pericope, ut de secundo muneris elenchlici membro dicamus, ubi de Spiritu sancto memoratur, quod mundum arguturus sit de justitiâ. Hæc Pharisæica fuit justitia, quâ multi in cælum pervenire satagebant, negligentes interea justitiam, quam nobis Christus per abitum suum ad Patrem peperit. Propterea sine vero excidunt, nec intrare in Regnum caelorum possunt.

Querela respicit

1. *Phariseorum copiam*, qui propriæ justitiæ confidentes, hoc ipso amittunt justitiam, quæ coram Deo valet, hinc Servatori placent, ideò inquit ad discipulos: Nisi abundaverit justitia vestra, plus, quàm Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in Regnum caelorum.

Pharisei erant separatores, qui in se confidebant, quod essent justi, & adspernabantur ceteros, Luc. 18. v. 9. unde & à Paraz, h. e. divisit, denominantur, hinc si Pharisæum nominas, idem est, ac si sectarium eum voces, siquidem expressè Paulus hunc ordinem sectam vocat, Act. 26. v. 3.

Tales Separatores hodiè tenus adhuc multi occurrunt, non modo inter Monachos in Papatu, ubi unus plus mereri satagit quàm alter: sed & inter nos in communi vitâ, ubi hypocritarum multi inveniuntur, qui de malitiâ & injustitiâ, quæ ubique invaluit, conqueruntur, & ipsi palam aliis in malitiâ & injustitiâ præcipiunt: hæc generatio est, quæ sibi videtur munda, & tamen non est lota à sordibus suis, Prov. 30. v. 12.

Oprimè verò hodièrni Jesuitæ cum Pharisæis comparari possunt.

Illi orti sunt tempore Maccabæorum Anno Mundi 3690. & ita paulò ante adventum Christi in carnem. Hi vero Anno Christi 1540. & ita paulò ante diem ultimum, ubi Christus redibit ad judicandum vivos & mortuos, Act. 10. v. 42.

Illi optimi legis Interpretes videri volebant, re ipsa verò erant pessimi depravatores ejusdem, unde Christus ratione fermenti Pharisæorum fideliter nos præmonet, Matth. 16. v. 6. hi verò & ipsi aliis se

yy

præ-

præferunt, majoremque scientiam sibi arrogantes, unde & Doctores Seraphicos se vocari volunt, sibi que nomen Jesuitarum arroganter attribuerunt. Re ipsa verò homines sunt nocentissimi, qui non acquiescunt fanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est doctrinæ, 1. Tim. 6. v. 3. sed detorquent Scripturas, ad suam ipsorum perditionem, 2. Petr. 3. v. 16. Rectius Anti-Jesuitæ vocantur, quia Anti-Christi Regnum fulcire juvant, qui extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, 2. Thessal. 2. v. 4.

Illi legem intelligebant tantummodò de exteriori obedientiâ, eamque propriis naturæ viribus impleri posse docebant, unde & interiores animi affectus pro peccatis non habebant. Idem & Neo-Pharisæi faciunt, sicut in Concilio Tridentino expressè decreverunt: *Si quis dixerit homini justificato, & sub gratia constituto, præcepta Dei esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Similiter concupiscentiam pro peccato cognoscere nolunt Sess. V. Utrumque contra Scripturam. Vide Luc. 17. v. 10. 1. Joh. 3. v. 4. Rom. 7. v. 8. Rom. 6. v. 2. 6. 7. 12. 14. c. 7. v. 7. c. 8. v. 2. 19.

Illi multum tribuerunt traditionibus, quas *νόμον ἀνθρώπων* legem non scriptam, sed ore tenus traditam appellabant, quò pertinent, traditiones de Sabbatho, Mat. 12. v. 2. Luc. 6. v. 7. Joh. 9. v. 16. de jejunio, Mat. 9. v. 14. Luc. 1. v. 33. de manus lorio- ne, Marc. 7. v. 3. Mat. 15. v. 2. & ejus generis plures. Hi, Jesuitæ nimirum, cum aëclis suis idem faciunt. Ideò decernunt Patres in dicto Concilio: *Traditiones tùm ad fidem, tùm ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à*

Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia conservatas, pari pietatis affectu suscipit & veneratur sacrosancto Synodus. Verùm enormis est error. Sine mendacio consummabitur verbum legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur, Sir. 34. v. 8.

Illi exterioris sanctitatem simularunt, dilatantes phylacteria sua, & magnificentes fimbrias, Mat. 23. v. 5. in multiloquio orantur, Mat. 6. v. 7. circumvenerunt mare & aridam, ut facerent unum profelytum, Mat. 23. v. 15. Hodierni quoque Pharisæi insignes hypocritæ sunt, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, 2. Tim. 3. v. 4. adnumerant Deo preces suas, in iisque tanquam opere operato confidunt, licet neque fides neque devotio adsit, quin & omnem moyent rudentem, quò orthodoxos à rectâ calle abducant.

Oremus nos Deum, ut nos à generatione hæc prava custodiat, circumquaque etenim impij obambulant, cum exaltantur leves inter filios hominum, Psal. 12. v. ult.

II. *Ira noxam.* Hic audimus Christum dicentem: Qui irascitur fratri suo temerè, reus erit iudicio.

In genere experientia testis est, iracundiam parùm boni attulisse. Nam

1. *Animum turbat,* ut homo sui ipsius compos non sit. Ira quippe in sinu stulti requiescit, Eccles. 7. v. 10. eumque qui præceps ad iram est, stultum efficit, ut operetur stultitiam, Prov. 14. v. 17.

2. *Conscientiam gravat.* Homo enim iracundus sæpè execratur & seipsum devover, & multa alia patrat, quæ excusari nunquam

quam possunt : Hinc conscientia saucia-
tur, quæ si evigilat, sæpè homines ad despe-
rationem adigit, ut Caini, Saulis, Judæ,
aliorumque exempla probant.

3. *Vitam abbreviat.* Nam stultum occidit
indignatio, & insipientem interficit zelus,
Job. 5. v. 2. unde & inter opera carnis re-
censetur, Gal. 5. v. 21.

III. *Implacabilitatis culpam,* quæ in mul-
tis tantas radices egit, ut in inimicitia mori
malint, quàm proximo ignoscere. Sunt
hi nefarii homines, quos Scriptura pro
homicidishabet. Omnis, qui odit fra-
trem, homicida est, & scitis, quoniam om-
nis homicida non habet vitam æternam
in seipso manentem, 1. Joh. 3. v. 15. Hinc &
religio eorum vana est, precatio inefficax,
& spes frustranea, quamdiu in implacabili-
tate vivunt. Incedunt in via complanata
lapidibus, & in fine illorum, profunditas
inferni, Sir. 21. v. 11.

Hoc ita probati potest: Ubi odium &
invidentia regnat, ibi caritas non est, cari-
tas enim non æmulatur, 1. Cor. 13. v. 4. ubi
caritas non est, ibi nec fides est: fides
enim per caritatem efficax est, Gal. 5. v. 6.
ubi fides nulla, ibi nec bona conscientia,
fides enim corda purificat, Act. 15. v. 9.
ubi bona conscientia non est, ibi nulla ad
Deum fiducia, 1. Joh. 3. v. 21. ubi nulla ad
Deum fiducia, ibi nec vita. Nam in Deo
vivimus, movemur, & sumus. Act. 17. v. 18.
Ubi vita nulla, ibi nec salus, salus enim est
perpetua vita, Sap. 5. v. 16. Quicumque
igitur in implacabilitate perseverat, salu-
tem & vitam æternam amittit, quæ ma-
joris æstimanda, quàm universus mundus.
Quid enim prodesset homini, si uni-
versum mundum lucraretur, animæ

verò suæ detrimentum patiatur, Matth.
16. v. 26.

Inter Themistoclem & Aristidem diu-
turnæ inimicitia & simulates fuerant.
Orto verò bello Persico Collegæ sibi invi-
cem adjungebantur in gravissima legatio-
ne. Tum Aristides: *Cessent inter nos ini-
micitia, quia alibi satis est effusi sanguinis.* Hi
gentiles fuerunt, nec tamen simulates fo-
vere voluerunt: quò magis nos iram
& indignationem deponamus, Col. 3. v. 7.
& in pace & concordia cum proximo vi-
vere studeamus. Memento novissimorum,
& desine inimicari. Sir. 28. v. 6. 7.

De Secundo.

Sequitur *Medela,* quæ fuit

1. *Ex justitia abundantioris premio.*
Nisi enim abundaverit justitia vestra plus,
quàm Scribarum & Phariseorum, non
intrabitis in Regnum cælorum. Ex quò
contrario consequitur, quod si abundave-
rit, Regnum cælorum nos expectet.

Quoties terreni Reges & Principes de
Regnis terrenis disceptant, ut sæpè sangui-
nem cum vita profundant? & nil est nisi
particula terræ, vanitati subiecta, & quan-
do minus hâc de te cogitant, à morte abri-
piuntur, & cum interierint non sument om-
nia, neque descendet cum eis gloria eo-
rum, Psal. 49. v. 18. In morte enim Impe-
ratoria Majestas cessat, im Zode hat sich
ausgefâhrt / dixit Ferdinandus I. R. Imp.
h. e. ut Salomo aliis verbis id exprimit:
Non manet corona à generatione in gene-
rationem, Prov. 27. v. 23.

Danieli quatuor Regna, in terris futu-
ra, ostenduntur, ubi sunt illa? unum

post alterum transit, & quamvis Romanum Imperium adhuc duret, atramen digiti pedum ex parte ferrei, & ex parte fictiles sunt: & haud difficulter conjicimus fore, ut invictissimus Imperator Christus Jesus, propediem cum ultimo suo adventu irrupturus, & huic, ut & omnibus aliis Regnis finem impositurus sit, Dan. 2. v. 38. 41. 44.

Verum Regnum Dei, quod hereditario consequemur, quando aliam eamque meliorem justitiam quarimus, quam Christus nobis acquisivit, Regnum æternum est, quod non commovebitur, Psal. 93. v. 1.

Ibi magnifice habitabimus, nempè in Palatio non manu factò, cujus ædificationem ex Deo habebimus, 2. Cor. 5. v. 1. Apparitores nostri non erunt Principes, Comites & Nobiles, ut in aula Imperatorum & Regum fieri amat, sed sancti Angeli & Archangeli, Cherubin & Seraphin: sicuti jam tum in hoc seculo Spiritus administratorii sunt, Hebr. 1. v. ult. Corona, quam nobis Dominus imponet, erit corona vitæ, Apoc. 2. v. 10. corona justitiæ, 2. Tim. 4. v. 8. immarcessibilis gloriæ corona, 1. Petr. 5. v. 4. quæ in æternum non auferetur à nobis, Joh. 16. v. 22. Ed anhelemus, & quoniam in Regno hujus Regis judicium diligitur, Psal. 99. v. 4. apprimè studeamus, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, modeste, & justè, & piè vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, Tit. 2. v. 13. & seqq.

II. Ex singulari hominis privilegio, quem Deus in tutelam suam recepit, & severè

prohibuit, ut eum neque verbis neque operibus, neque cogitationibus neque gestibus, neque corde, neque ore, neque oculis neque manibus lædamus. Prohibuit Deus necum ipso irascamur, ne ipsum morosè intueamur, ne ipsum calumniis & execrationibus oneremus, multò minus ullo modo manus ipsi inferamus violentas: sic Deus unicuique proximum suum commendavit, Sir. 17. v. 12. ut illum diligamus sicut nos ipsos, Levit. 19. v. 18.

Hominem Romanum non facile licuit vincere & flagellare, Act. 22. v. 25. Verum majoris faciendum est civicum jus spirituale in Ecclesia. Qui enim proximus & frater noster in Christo factus reverenter habendus est, ne temerè lædatur, ut Petrus mandat, 2. Petr. 1. v. 6. seqq.

Hoc privilegio adhuc hodie omnes gaudemus: Sicut enim proximum nobis commendavit Deus: sic & nos vicissim proximo commendavit, ut ipsi non liceat, iracundia, invidentia, inimicitia, vindictæ cupiditate, insidiis, vi & malitia nos prosequi, sicut nec nobis concessum est, ipsi horum quicquam inferre. Hoc solatium nostrum, hæc prærogativa nostra est; qui ad hanc legem vitam non componit, hoc ipso fit judicio, concilio & gehennæ igni reus. Magnatum patrocinium tempore belli sæpè cum consolationem tum gaudium parit: Verum Deus multò melius & gravius patrocinium nobis præstitit. In quinto præcepto præsidio munivit corpus & vitam nostram. In sexto uxorem & liberos. In septimo facultates & opes. In octavo bonam famam, ne quis vel cogitationibus, affectibus, verbis vel gestibus nos infestet, si Dei amicus esse, & ab igne infernali

wali immunis esse velit. Hæc magna consolationis est, quâ pii in omnibus adversitatibus confirmare se possunt. Nam si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. v. 32.

III. *Ex longanimitatis divina rivalo*, quæ hinc elucescit, quod Christus ait: Si offeramus munus nostrum ad altare, & ibi recordati fuerimus, quod frater noster habeat aliquid adversum nos, ut relinquamus ibi munus nostrum ante altare, & vadamus prius, & reconciliemur fratri nostro. Inverea Deus nos tamdiu præstolaturus est, dum eamus & redeamus & reconciliati simus fratri nostro. Quis tale quid coram Magnatibus terrenis auderet? Si quis impetrata audientia, causam suam propositorum, in conclavi Principis recordaretur rerum domesticarum, abiretque domum ad eas expediendas, & tùm demùm rediret, querelam suam expositurus, quâ ratione ille exciperetur à Principe? vix alia vice admitteretur. Sed Deus ter Opt. Max. tantâ benignitate & mansuetudine erga nos præditus est, ut tantisper cultum suum differri velit, quin & ipse jubet nos cum proximo in gratiam redire, deindè remeare, & munus nostrum offerre, quod hoc modò sibi gratum & acceptum fore, pollicetur.

Nonne verò hæc magna patientia & longanimitas, quam Rex Regum & Dominus Dominantium, 1. Tim. 6. v. 15. qui excelsior cælo est, & profundior inferno, longior terra mensura ejus, & latior mari, Job. 11. v. 8. 9. erga nos miseros homunciones probat? quos jure optimo ad infernum detrudere posset, ratione magnæ inobedienciæ, quâ ipsum offendimus, ut

iple ait, Ose. 11. v. 8. Hæc consolatio nostra sit, si ex imbecillitate humanâ in delicto aliquo præoccupati fuerimus, ne desperemus, sed cogitemus, Deum esse propitium & misericordem, ideoque locum daturum pœnitentiæ. Est enim verus *φιλόψυχος*, Sap. 11. v. 27. nec delectatur in perditionibus nostris, Tob. 3. v. 22. sed multùm parcendo nos regit, Sap. 12. v. 18. utrum in tempore gratiæ respiscere velimus à Diaboli laqueis, à quo captivi tenemur, ad ipsius voluntatem, 2. Timoth. 2. v. ult.

De Tertio.

Superest *Cautela*, quam tribus includemus Regulis, quarum

1. *Justitiam sectare*. Hic Christum, cum Scribarum & Phariseorum justitia minime contentum esse audimus: aliam verò requirit justitiam, quæ coram Deo valeat, Rom. 10. v. 3. Deus enim in generatione *justa* est, Psal. 14. v. 6. iniusti verò Regnum Dei non hæreditabunt, 1. Cor. 6. v. 9.

Hæc justitia considerari potest bifariam:

1. *Secundum legem*, cujus summam Christus enarrat, Matth. 22. v. 37. Hæc vero ratione impossibile nobis est, legem Dei implere, lex enim spiritualis est, nos verò carnales sumus, venundati sub peccato: hinc quidem delectamur lege Dei secundum interiorem hominem: videmus autem aliam legem in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ, Rom. 7. v. 22. 23.

2. *Secundum fidem*, quatenus Christus eam nobis acquisivit,

1. *Agendo*: Non enim venit solvere legem, sed implere, Matth. 5. v. 17.

2. *Patiendo*: Factus enim est maledictum pro nobis, ut nos à maledictione legis redimeret, Gal. 3. v. 13. & per vulnera ejus sanati sumus, Esa. 53. v. 5.

Medium verò, quo justitiam hanc apprehendimus, nobisque applicamus, est fides, cujus anima & vita vocatur fiducia, quâ homo sanctissimo Christi merito quasi immergit se, nec modò in genere credit, Christum mortuum esse & resurrexisse, id quod & Diaboli credunt, & contremiscunt, Jac. 1. v. 10. sed sibi omnia Christi merita in individuo quasi pro se solo præstita applicat exemplo Pauli, dicentis: Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, Gal. 2. v. 21.

Hæc vocatur *justitia imputata*, quam non in nobis reperimus, sed extra nos in Christo querere oportet, qui factus est nobis à Patre suo sapientia, & justitia, & sanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1. v. 30. Ex hæc fuit *justitia inchoata*, quâ verus Christianus ostendit, quod justitiæ Dei subiectus sit, Rom. 10. v. 3. quando nimirum lucem fidei suæ lucere sinit coràm hominibus ut videant opera sua bona, & glorificent Patrem, qui in cælis est, Matt. 5. v. 16. Sicut enim corpus sine Spiritu mortuum est; ita & fides sine operibus mortua est, Jac. 2. v. ult.

Hæc vero opera quibus fidem nostram probamus, in genere justitia in Scripturâ dicuntur, quia *justitia est Regina & Domina omnium virtutum*, Cicero teste, cujus proprietas est: *Honestè vivere, Neminem ledere, Suum cuique tribuere*, vide Matth. 7. v. 12.

Quod si igitur hîc felices, & in æternum beati esse vultis, videte ut in numero justorum inveniamini, in Christum credatis, & ergà proximum quoque æquitati studeatis. Dominus enim diligit justos, Psal. 146. v. 8. habitacula eorum benedicentur, Prov. 3. v. 33. semita eorum, quasi lux splens, Prov. 4. v. 18. nec affliget Dominus fame animam eorum, Prov. 10. v. 3. Tandem eò illos deducet, ubi justitia habitat, 2. Petr. 3. v. 13. nempe in cælestem Hierusalem, populus enim ejus omnes justi erunt, Esa. 60. v. 21.

II. *Iram moderare*. Propterea ait hîc Christus: qui fratri suo irascitur, reus erit judicio, h. e. ut Bibl. Wemariensia explicant, dignus est, qui palàm in judicium inferius, in quo apud Judeos XXIII. Judices sederunt, adducatur, & capitis damnetur, Semper enim unum ex alio sequitur: *Ira excipit rixam, rixa convitia, convitia idus, vulnera*, ut Basilius ait. Et hic ratio nulla proximi consanguinei habetur. Per iram trucidavit Cain fratrem suum Abelem, Gen. 4. v. 8. Saul generi sui vitæ insidiabatur, 1. Sam. 19. v. 10. Herodes filios proprios petiri jussit, ex merâ suspicione, quasi insidias vitæ suæ tenderent. Hinc Syracides: Vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam, c. 28. v. 11. iratus nil nisi crimina loquitur, quidam ex Veteribus ait.

Quilibet igitur iram declinet, & si forte bilis ipsi moveatur, confestim *speculum consulat*, & deprehendet, quomodo à seipso quasi mutatus sit: sic multi iram abjecerunt, ait Plato.

In lingua Hebræa Ira Aph, h. e. nasus dicitur, quia per nares fumat, sicut flamma per

per caminum: quin nihil est in toto corpore, per quod iracundia se non exferat. Facies immutatur, fitque primò rubicunda, deindè pallida: labia tremunt, dentes strident, pili sursum eriguntur, oculi scintillant, lingua hæsitat, pedes calcitrant, manus contremiscunt, totum corpus concutitur, ut rectè dixerit Basilius: *Ira quadam hominis Dæmoniæ effigies est, nec modò effigies, sed & exemplar & viva idea.* Qui enim odit fratrem suum, homicida est, 1. Joh. 3. v. 15. Hoc à Diabolo oritur, qui homicida ab initio est, Joh. 8. v. 44.

Deinde *humilitati studeat.* Quando enim homo nimium sibi arrogat, & omnia ad libitum desiderat, facile ad iram incitari potest. Qui verò humilitati studet, in omni fortuna æquo animo esse potest.

Tertio *nihil ex iracundia faciat, sed prius orationem Dominicam recitet, ut Ambrosius Theodosio svasit, sic intereaira evanesceret.*

Architas Tarentinus à famulitio ad iram provocatus, nihil iratus fecit, sed dixit: Jam te percuterem, nisi iratus essem.

Alphonfus Arragonia Rex, pugionem abjecit, quando ab iracundiâ invadebatur. Hic patientia opus est, quæ non cujusvis est: Ideò à Deo impetretur, qui inde Deus patientiæ vocatur, Rom. 15. v. 5.

Hoc si fecerimus, iram refrenantes, Deus quoque nobis ignoscet, si fortè deliquerimus, est enim benignus, & misericors, longanimis & multæ misericordiæ, & talis, quem pœnitet super malo, Joel. 2. v. 13.

III. *Cum proximo reconciliare.* Ad hoc

monet nos Christus emphaticis verbis, unde & offendentem & offensum salutari-ter instruit. Offendenti ait: *Vade, reconciliare fratri tuo: quo ipso injungit, ut is, qui proximum offendit, aut ipse, aut per inter-nuncios proximo deprecetur, quò res componatur, antequam ad sacram cœnam accedat: alias enim melius foret ut planè eâ abstineat, quicumque enim manduca-verit panem hunc, & biberit calicem Do-mini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, 1. Cor. 11. v. 27.* Quando verò qui offendit, injuriam suam agnoscit & veniam orat, alter promptus ad remittendum exhibere se debet, non modò septies, sed septuagesies septies, Luc. 17. v. 4.

Hoc ipsa necessitas requirit: Confite-mini alterutrum peccata vestra: & orate pro invicem, ut sanemini, inquit Jacobus c. 5. v. 16.

Exempla sunt Abraham, Gen. 13. v. 8. 9. Joseph, Genes. 50. v. 19. seqq. Moles, Exod. 32. v. 11. 31. David, 2. Sam. 16. v. 5. seqq. Christus ipse, 1. Petr. 2. v. 23. Luc. 23. v. 34.

Hæc exempla nos quoque imitemur, sedulò caventes, ne vincamur à malo, sed vincamus in bono malum, Rom. 12. v. ult. Hæc optima est victoria.

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit

Mœnia, nec virtus altius ire potest. Vide Prov. 16. v. 32. Largiatur nobis Deus hunc affectum, per Christum Dominum nostrum.

Amen.

DOMI-